

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**RABI IOSEPH HYSSOPAEVS PARPIonianensis iudaeorum  
poeta dulcissimus ex hebraica lingua in latina[m]  
traductus a Ioanne Reuchlin Phorcensi legum imperialium  
doctore**


**Ezobi, Jehoseph ben Hanan ben Nathan Ezobi**

**Tubingae, 1512**

[urn:nbn:de:bsz:31-270765](#)

42

A 1160



T 1941 g 950

0

42 A 1160 Q

Bartl M3

LIBRARIUS LEACHINUS THORACIENSI

1512. LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF STUTTGART

42 A 1160 R

RABI JOSEPH HYSSOPAEVS PARPI

nianensis iudæorum poeta dulcissimus ex he  
braica lingua in latinā traductus a Ioanne  
Reuchlin Phorcensi legum impe  
rialium doctore

Ludovicus Bellius  
Karlsruhe

( 1512. )

# IOANNES REVCHLIN PHORCENSIS

II. doctor & sueviæ triumuir extenorum.

librorum studiosis. S. D. P.

Philosophiam uniuersam cupidissimi sapientiæ amatores,  
& omnē artem literariā a iudæis ipsis primum ortam, et ad  
nos usq; Pythagora Platoneq; longo tractu deriuatā esse,  
testis est Eusebius noster de præparatione euāgelica libro  
undecimo, ubi tantus ille uir & omnis antiquitatis tam pe-  
ritus haud obscuram texuit historiā, fuisse iudæorū quos-  
dam leguni sacrarum ac enigmatū expositores, quos secū-  
darios solebant nuncupare, qui in cantuum odarūq; soler-  
ti cōpositione suos erudiebāt, tanta sermonis elegantia, ut  
si quis linguae suæ peritiam habeat, eloquentissimos certe  
multos eorū oratores fuisse putabit. Sunt etiā inquit apud  
eos artificiosissima carmina uidelicet Heroica. Trimetra,  
Tetrametra, & id genus cetera, quæ scripturarū exposito-  
res illi secundarii, tanq; rationalis philosophiæ cultores, ex-  
p̄fessiō uersabāt, & logici negotiū studiosis tradebāt. Quod  
enim platonici asseruerūt sapiētię studiū que philosophia  
uocatur treis species seu parteis habere, ut L. Apuleius ille  
Madaurensis in libro suo peri hermenias scribit, Naturale  
scilicet Moralem & Rationalem, hoc ipsū multis ante phi-  
losophos temporibus & inuenierūt priores & obseruarūt  
iudæi. Qui eadem illa partitione ternaria inter se statū sibi  
publicū & uiuendi et sentiēdi pr̄fūslerunt, quod posteris  
nobis prodidit ille princeps tyriorū Porphyrius de absti-  
nendo a carnibus animaliū uolumine quarto. Ita ergo tria  
erant omnino genera iudeorum. Sadducei nanc̄ sola post  
legem ducebātur natura. Morales aut̄ fuerunt Essæi. Sed



f

Logici hoc est rationales seu orationales qui scripturis  
inhabant dicti sunt pharisei. Quę quidē nomina pro suo  
idiomate haud facile poterant euinciare græci. quare nos  
sequaces eorū in idem linguae uitiū ut alias sæpe, ita & hoc  
in loco ablegauerūt. Appellabantur enim hebraice צְדִיקָה zadikai, hoc est iusti eo q̄ iustitiam natura duce sequeban-  
tur. Et ψιγί ossai hoc est operarij quoniam manibus sibi  
uictū q̄ritabāt, om̄ia in cōmune cōferentes, Vnde fuerūt  
a grecis licet nō recte quasi ὅσιοι a sanctitate dicti. Et Φόρσαι phorsai hoc est expositores, quia exponendis scripturis &  
cathedræ p̄erant, quos pr̄isci græcorū στροφῶτας uocauē-  
re, id est secūdarios, ab hebraico uocabulo נָשָׁר id est στροφωσις, hoc est secundina, quasi secunda lex, quo nomine  
thalmud id est doctrinale nūcupabant. Eo fit ut īdem sint  
pharisei, deuterotæ, secundini, uel secūdarij, & thalmudici.  
Finiuntur aut̄ hæc nomina in aī loco terminationis im, plu-  
ralis numeri, ut pro zadikim, ossim, & phorsim, dicam za-  
dikai, ossai, & phorsai, sicut in rudimentorū nostrorum uo-  
lumine tertio facie 613 erudit̄ estis. Cum īgitur legerē eos  
hebræorū doctores etiā poeticis carminibus dedisse ope-  
ram (fatendū est em) primo subdubitauī, commotus nō le-  
uiter iudæorū obtorta lingua (ut ait Hieronymus in epi-  
stola ad Titū) & solutis labijs & stridente saliuā & rasa fau-  
ce. Iam enim mihi uix illud persuadere poterant Philo, Io-  
sephus, Origenes, Eusebius & cæteri, quoniam & si heroicū  
deprehenderam primū psalterij uersum, tamen omnes se  
cundi recalcitrare uidebantur, Nisi admitterē pindaricas  
commisceri mensuras uel comicorū indiscretā confusione  
plurima licentia tolerari. Post aut̄ quam inter alios biblio-

a ij

the cæ meæ libellos incidi forte fortuna in Hyssopæū poë  
tam hebraicum, mox cessauit omnis titubatio, iam irrepicit  
non dubitatim fides, & eliminabam cōfestim anteriorum  
super componendo carmine incredulitatē. Vidi uidi oculis  
istis meis quod auribus nō concessissim in tantulo illi  
us uoluminis corpore tantam syluam rerum & sententia  
rum copiam, rhythmicorū ac musicorum acerrima norma  
& uerborum numerorū uocum equabili iudicio festiuiter  
amussitatem, ut omnīū industriam doctrinarū sequeretur  
etiam inopinabilis aurium uoluptas. Ego uero ea conditio  
ne natus, ut optimarū artiū quas & summo labore & gra  
uiissimis impensis, multo quoq; tempore acquisiui, nō sim  
inuidus distributor, instar Apollonianæ uolucris effu  
sum triticum cæteris aibus renunciantis, quo lautius pa  
cerentur, ut est apud Philostratum libro quarto, mirifice  
gaudeo lectiones quas uel ferula magistra uel meopte in  
genio didici alijs communicare. Nullum est enim bonum  
inquit Manlius Seuerinus de hypotheticis syllogismis,  
quod non pulchrius elucescat si plurimorum noticia com  
probetur. Quare nobilissimi lectores qui pro insita gene  
rosis animis uestris admiratione, etiam hebraicorum au  
ctorum desyderio æstuatis, quoniam ita uos uelle conii  
cio, mecum ipse constitui poema illud hebraicum Iosephi  
Hyssopæi parpinianensis (si modo possim) uobis latinum  
efficere, non ut mea dictione quæ tenuissimo filo con  
stat et insini generis est illustretur assiduitas lectionis ue  
stre, sed ut qualicunq; munusculo fiat nota singularis erga  
uos benevolentia mea. Scio enim quam difficile sit lingua.

transfere alteram in alteram tota & integra manente sen-  
tētia, magis autem fieri non posse, ui arct̄ statu uerborum  
singulorum nusquam mutato, cui astipulātur om̄es quo-  
quot sunt interpres. Nihilominus sudorem uirtutis non  
abhorrens, & asperrimos calles & ardua culmina iuxta He-  
siodum imperterritō conatu audebo uersum uersui & nu-  
mero numerum æquare, quanquam uerbum uerbo mini-  
me, id quod cum latinis de gr̄co est uetitum, tum est in he-  
braicis carminib⁹ impossibile, taceo de soluta orōne, pro-  
pter gr̄ci latiniq⁹ sermonis si hebræḡ linguæ conferātur  
pauperiem, ut sanctus Hieronymus super Isaiam libro de  
cimo affirmauit. Nunc quod ad argumentum attinet, sane  
breue est. Rabi Ioseph Hyssopæus in parpiniana ciuitate  
uxorem dedit filio Samueli, & in nuptiarum die audienti-  
bus conuiuis omnibus epithalamium hoc ad mensam ceci-  
nit, carmen Gamelium iambico metro hipponaictium tan-  
ta suauitate linguæ hebraicæ, ut illam non iam esse bar-  
baram omnis intelligens arbitretur. Cui titulis extat lanx  
argentea, quod translatio nostra uocat acceptabulum, non  
sicut mendosi codices habent acetabulū. Numeri septimo,  
donatum quodlibet a quolibet ducū israel in dedicatōne  
altaris, pondo centum triginta unius s̄clorum, tot ē m̄ præ-  
sens poema sentētias bīnis quibusq⁹ uersibus absolutas cō-  
tinet. Est nanq⁹ in summa uersuum ducētum & sexaginta  
duum. Eam lancem dotalitio ritu literosus pater philoso-  
phantī filio donauit, quasi cornucopiae in quo congeries  
om̄igenum florū & fructuum pro sua opinione contine-  
atur. Quali parēte si meus calūniator ille indoctus & om̄is

a iii

bong artis expers iudeus baptizatus etiam inter iudicium  
uiperarumq; genimina esset natus altus & auctus, plane  
haud tam & tam detestabilem ad nos spurciam & oris  
impuritatem attulisset. Nunc ex hara porcorū productus  
rabula, temerarius est hoc solo, quia indoctus, ut scribit  
Gregorius Nazianzenus in concione τερι τησεν διαλέξει  
ενταξιας cū ait. quod temeritas est ruditatis proles his uerbis.  
bis. εράσσε δε αμαθιας έκγονον. Quapropter audet idiota besti  
arum lanius ante, at nunchominum christianorū laniator  
& mēdacionorū faber disputare de rebus quarū ne uocabula  
quidem pronūciare nouit, taceo sensa intelligere. De quo  
dixit Rabī Eleazar filius Azariæ in thalmud his uerbis.  
אמ איזו גראח איז חכמה אם איז רעה איז בינה  
temerarios non esse sapientiā, ubi nihil timetur, et ubi non  
est scientia. ibi nullā affore prudētiā. Nunc conuiualem  
odam auscultemus hyssopei, quem Phocylidi anteponere  
multo liceat æquius, quam q̄ imperator Julianus Phocy-  
lidem prætulerit Salomoni.

JOSEPHI HYSSOPAEI PARPINIANENSIS

lanx argentea ex hebraico in latinū tralata Ioanne Reuchlin Phorcensi II, doctore interprete, metro iambico hippo nactio, iuxta uersum c uersu.

Fili uide, accipe hanc tributionem.

Munus patris, qui animo tibi cohæret.

Hymenæa dos aptissima ad regendum.

Iter tuum, compescē nunc tumultum.

Ego parens docebo te, quis autem.

Sicut pater te rectius doceret.

Audi ergo, nec despixeris loquentem.

Pungant licet turbentq; me dolores.

Sum hyssopus, at sunt nostra uerba cedri.

Et sermo sicut palma dactylorum.

Leo corde quanq; aspectione uulpes.

Mihi sunt lacerti in carmine atq; uires.

Mel in ore pro fauentibus, sed est fel.

Iurgantibus donec apis resurgam.

Audi patrem, te exoptat & cupiscit.

Et moeret efflictim tuo recessu.

Ambobus est discessio statuta.

Faciem meam mea uerba prefigurent.

Optabilem mensam tibi paraui.

Ad prandium plus dogmatis refertum.

Vbi lanx melus argentea est canori.

Pondo quot acceptabuli, tot orsa.

Quot scutulæ quam principes tulere.

Ad corbanam in dedicatione.

Nunc te docens non spero premiorum.

Mercedulam uel uestium uel auri.  
Nomēn bonum & tua uirtuosa uita  
Retributio hæc satis est mihi celebris  
Nomen magistri possides auitum  
Samuel leo ualebat in caterua  
Par nomen est tibi, sint pares & artes  
Integritate uitæ & æquitate.  
Time deum, & cohæreto corde toto.  
Scito quod est uitalis & tremendus.  
Et unus & primus nouissimusq;  
Opifex rei sit facta seu creata.  
Decem beatæ intelligentiæ sunt  
Sepratæ, & ultra habitat deus Hacabod.  
Locus omnium, at sibi nil locus uicissim  
Ecquomodo templum dei capax est.  
Non continebitur polo nec orbe  
Quamuis salem ei elegerit sedile.  
Aethernitatis rex nec ipse corpus  
Cuius signum candelabrumq; mensaq;  
Effecit ex sextunc, creando mundum  
Creans eum sic non manu sed ore.  
Et cuncta naturæ modis ligauit.  
Nihilominus foedus coit creatis.  
Hoc foedus est, sua fiat ut uoluntas.  
Quis eius os contemnat & rebellet?  
Ne trans eas fili os suum atq; legem  
Memor eius obseruatione cultus.  
Sequens uiros summæ eruditionis  
Fies eorum particeps honoris

Stulti sodalitas tibi exprobranda est  
Nunquid bonum: in numero esse doctiorum  
Vitare fucatos uiros memento  
Quorum osculum est apprime fraudulentum  
Nugaeque eorum ac blanda ne incitent te  
Quia fauus os, cor est fel atque uirus  
Senex tibi eligendus, haud iuuentus  
Male consulens molitur haecruinam.  
Et elige os scribarum ac haud librorum  
Tibi fac magistrum nulla spes libri esto  
Centum effluunt sapientis ore chara  
Cum sit liber tantum unus in figura  
Sapientiam acquire & simul scientiam  
Nec fac licere nundinationem  
Ab arte declinato graicorum  
Et uerba nasdaræa ne receptes  
De uinea horum auerte te, racemi  
Sunt de Sedom uitesque de Gomorra  
Ducent enim te ad implicationem  
Vel in manus saltem expiationis  
Lege grammaton in arte, biblia ue  
Sed sit labor tibi maior in Gamara  
Rei ut scias cuiuscumque iuscumphasque  
Quid inter æquum intersit atque iniquum  
Interque mundum utrinque & inquinatum  
Sententijs schor borque legibusque  
Cor applica non sufficit sonare  
Nec uapulare super genam a docente  
Magister Alphes cui decora laus est

b

Quis colligit tam docte (ut ipse) legem?  
Famelicos scientia cibauit  
Defeceras placentula, is nisi esset.  
Et Moyses post hunc homo dei alter.  
Cuiuscq; sapphiros super libri sunt.  
Et obryzo quoq; gratiosiores.  
Et sunt hebraea & arraba loquela.  
Fumus tuis pro naribus suauis  
Nunquid docent hominem uiam probatam  
Sententiæ horum, semitæ tuæ sint  
Et ab ore eorum sume regulam omnem.  
Et saepe uade ad prædicationes  
Vel ad Mechilta Siphre siue siphra.  
Fili, sit & tibi carminis palæstra  
Et terfa dulcedo suauitatis.  
**V**t fabrices uersus mihi canoros  
Ne uiribus sterilis uel horridus sis  
Purgabis illos dum exeant probati  
Crebro mouens carmen quasi in cribello.  
Et honestius studium est epistolare  
In quo studeto puritati & arti.  
Multum in suis scriptis homo notatur  
Vbi quisq; de se testimonium fert.  
Et est suum qui literis libroq;  
Opprobrium nudatit & retexit.  
Quo diligens scribendo nate misis  
Suauitas scripti librum decorat.  
Specta parum dum nunciabo rursum  
Tibi scientiam meam & monebo.

Repone tecum omnes vias amissim.  
Et calcula siue acta siue agenda.  
Extremitates linque, & elige intra.  
Istud bonum rectumq; nuncupatur.  
Animæ suum persolute ius, deinde  
Quod corpori prodest, utrilibet pax sit.  
Bibe atq; ede, at dic fiat hoc honeste.  
Ut non sit æquo alienum & immodestum.  
Si animæ tuae dominabitur cupidio.  
Tu uince, separaç; eam a potente.  
In uestibus sed lege non teneris  
Ex his habet uir gloriā atq; honorem  
Cuba parum fili parumq; dormi.  
Vigilando namq; paſcitur cupido.  
A pigritudine spiritum repelle  
Plus est ut incites quam ut inciteris  
Feriisq; contemplare disputa ue  
In lege diuina reconditaç;  
Nam dantur illæ non ut replearis  
Vino medullataç; carne tantum  
Sed ut quiescas septimus dies est  
Et eius hoc mysterium modusq;  
Noctes diesq; orare in æde sacra  
Presso tamen capite ac simul timore,  
Certator autem de locis nec esto  
Ob id nec est crepidini sedile.  
Vir nanc; dat loco suo decorem  
Sed non locus uiro uicissim honorem,  
Si quis iubet te, lex dei legatur.

b ij

Fac id cito ne ponderes cateriam.  
Si de urbe in urbem transmigres idem fac:  
Vtendo lege quemlibet grauante  
Sæpe aufer a socio pedes tuos, ne  
Pigeat tui, nec te eligat sodalem  
Cor ecce corpus ardet expetitq;  
Et tedet eius quando uilefiet  
Sis unus ore & corde amice fili  
Non ore leui cum manu pilosa  
Sis unus & uerbo simulq; facto  
Non ut zohar, specu libris citatus  
Facias ægenis gratiam pudice  
Patronus occultæ necessitati  
Pro uiribus tua dona largiare  
Nam est turtur æquitalens ouicapræq;  
Et dā petenti, haud si dabis, responde.  
Et sufficit tua si manus restricta est  
Sunt uerba iusti cuncta cum quiete  
De moribus uox stulta, uox tonitru  
Linguam malam cum auctore abominare  
Quæ ut ensis & mercedulæ nouacla est  
Vitare dictum turpe cogitabis  
Nam sæpe fortis scurrili mouetur  
Calumniam dicendo & audiendo  
Fuge, litis irritatio est caputq;  
Si quis tibi arcanum suum recenset  
Conclave cordis seruet id sepultum.  
Tuncante eum secretiora cœla  
Claude ostium labij tui, reclude

Claustrum tuum si liquefiat illud.  
In uinculis eris eius alligatus.  
Iram relinquas, reprimas furem.  
Caput prophetarum furor reiecit.  
Superbiam execrando abominare.  
Hominemq; detestare sic superbum.  
Sublime cor costas suas diremit.  
Et tempore est ceruix sibi refracta.  
Sermo eius est singultus & putredo.  
Et naribus fetor extat audientis.  
Decet superbiam uocare sordes.  
Sapiens licet sis Daniel & Esdra.  
Humilem tamen frequens honor sequetur.  
Fugiensq; fastus regna conquereris.  
Acquir'e amicos per benigna uerba.  
Illorum emes animam sine ære & auro.  
Hæc regula est uenerabere uniuersos.  
Quamuis statu sint infimo graduq;.  
Non iudices facie tenus uel illum.  
Vilis putatur sæpe qui potens est.  
Secreta ne uulgi sodalitati.  
Patefiat ars, inuenta seu recepta.  
Num pauperi ridendius es recensens.  
Ærarij eius gloriam decusq;.  
Ludosq; talorum & pares omitte.  
Illorum(ut idola)arma cuncta frange.  
A sedē porro eorum abito longe.  
Cuius sit aspectus tibi nephandus.  
Quiā gentibus fit causa nuditatis.

b ij

Vt ambulent in frigore absq; ueste  
Primo uocatur risus, at subinde  
Fletus latens, & finis est amarus,  
Famæ notam ne inuaseris loquendo.  
Suspectio sit moris nulla turpis.  
Seruum uide domini, fuit ministrans.  
Labio absq;, camisiam gerens sine ora  
Fili, tuæ iam nuptiæ coruscant  
Gratissimam ad ceruam tuum tene cor.  
Ad gratiæ ceruamq; nobilemq;  
Illaq; non extranea, salax sis.  
Vide tuam dilecte mi figuram  
Formamq; ne corruperis décoram.  
Si occurrerit qui forte rete tendat  
Foueam tibi fodiendo, iamq; fodit.  
Trahe illum ad inquisitionis aulam  
Illic ei persolue iusta stulto.  
Tibi si calet cor ad scelus patrandum  
Ascende Bethel ut refrigereris  
Et tunc scias, iudex deus q; hic est  
Et par erit lementis atq; messis.  
Fili te adhuc ardor tenet iuuentæ.  
Ardesq; ut ignis ardet in camino.  
Cessa uenire ad hortulum supremi  
Scandas ut in palmam atq; ut apprehendas  
Ramum, quot autem ascenderant cadentes.  
Hoc qui uiretum euulserant amcenum.  
Sicne appetas rationem habere legis  
Nostrí dei, sed dic, quia ordinatum est.

Spectacūlum transfluerit iuuentā  
Et igneum extinguat rogum senectā  
Sit fortior q̄ intelligentiæ uis.  
In lege, mensq; ut turris eleuata  
Vade ad uiros sacræ professionis  
Et tunc moue argumenta quæstionum.  
Quæ causa sit ceremoniis requirens  
Dum uideris rationibus patere.  
Accede demum arcana de Beresith  
Et ex eas ad lumen a tenebris.  
Rem scire Adæ sui adminiculiq;  
Nudi ut prius, circumligantq; rete  
De filiis mysterium duobus.  
Et de minore priuilegiato.  
Status paradisi arborisq; uitæ  
Et quantitas in palmite atq; truncō  
Et ad cherubim cor leua ut nitescat.  
Tibi quattuor fluuiis resplendeat lux  
Flammæ cherub, ignis reflexus in se.  
Circum undiq; ad custodiam Gan Eden.  
Post hac tibi mercaua detegetur  
Profunda ualde, ubi dies suprema.  
Adnunciata animæ tuæ restabit  
Intra globum uiuentium inuolutæ  
Scandetq; cœlum, & corpus ad sepulchrum.  
Thesbitæ instar turbine eleuati.  
Hic finis est, bonum capesse nomen  
Quod præstat omni nundinationi.



Tres sunt coronæ, nomen at bonum illud  
Corona ponitur supra coronam.  
Deus ergo te scuto suo coronet  
Tibi gratia hac thorax sit & galerus.  
Cum filia coætanea iocare.  
Vobis deus det ut Abrahæ atq; Saræ.

Finit Rab[i] Ioseph Hyssopæus, quem transtulit de hebraïco in latinum Ioānes Reuchlin Phorcensis legū imperialiū doctor, Cæsareq[ue] maiestatis archiducis Austriæ, illustrissimorum imperij electorum & cæterorum principiū in confederatione Sueviæ iudex ordinarius. Anno M.D. XII. sexto kalendas Martias.

Tubingæ in ædibus Thomæ Anshelmi  
Badensis, mense Martio.

